

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



DE SUBIECTI E VERBIS ANTECEDENTIBUS SUBAUDIENDI USU THUCYDIDEO CUM HERODOTEO COMPARATO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS EGGERS

HANNOVERANUS.

HALIS SAXONUM.

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXIX.


HARVARD COLLEGE
AUG 19 1910
LIBRARY.

DR. FERDINANDO GUMPERTO

PRAECEPTORI OPTIMO

PIETATIS CAUSA.

Verbi finiti personae in lingua graeca relatione syntactica inter se differunt. Nam praeter illam rationem dicendi, quod secunda persona interdum ad subiectum incertum et indefinitum significandum usurpatur, quae ratio iam Homero usitata saepe apud Romanos nobis occurit neque a nostri sermonis consuetudine abhorret — locutiones nimirum dico *εἶδες ἄν, ἡγήσω ἄν* ac similes — prima et secunda persona finitae sunt, infinita est tertia. Qua de re iam Priscianus grammaticus recte iudicavit, apud quem[1]) sic scriptum invenimus: „et prima quidem et secunda verborum persona finitae sunt, praesentes enim demonstrantur; tertia vero infinita est itaque eget plerumque pronomine, ut definiatur".[2]) Tertia igitur persona, nam de ea nobis agendum erit, per se non efficit, ut certum in animo subiectum habeamus, sed notionem requirit, ad quam referatur.[3]) Nihilominus scriptores cum alii tum graeci subiecti illam notionem in tertia persona ad intellegendum necessariam, quae nobis in germanicum sermonem verba vertentibus nomine substantivo exprimenda aut pronomine excipienda est, saepissime omittunt atque pro mira quadam Graecorum mobilitate ingenii cogitandique celeritate subaudiri iubent. Cuius breviloquentiae plurimae sunt species ac formae; de quibusdam alii exposuerunt[4]); mihi satis nunc est unum genus persequi, cum ex uno vocabulo alterum vel stirpe cognatum vel notione coniunctum repetendum est. Haec igitur subiecti in tertia persona supplendi ratio ac

---

[1]) Gr. lat. ed. Keil II, 448.

[2]) Similiter Maximus Planudes in dialogo de grammatica, apud Bachmannum anecdot. gr. II, 113, 11.

[3]) Cf. H. Mueller, de tertia in verbo finito persona, inprimis de verbis impersonalibus disputatio, Gryphisw. 1863.

[4]) Cf. inprimis A. Miodouski, de enuntiatis subiecto carentibus apud Herodotum Academ, Cracov. 1886.

libertas, cum veteres atque Graeci maxime ea, quae alii diserte et plane enuntiant, praedicati tantum quoad eius facere poterant numero vel genere leviter significasse satis habebant, quam sit varia quamque multas legentibus praebeat difficultates, exemplis e libris Thucydidis, locupletissimi gravissimique Graecorum rerum scriptoris, petitis copiosius explicare operae pretium mihi visum est, subscriptis simul ad comparandum in margine locis similibus qui inveniuntur apud Herodotum.

Atque componenti mihi et digerenti materiam tota commentatio in tres partes dividenda videtur, quarum una eos locos complectar, in quibus substantivum aliquod subiecti vice fungens in altero praedicato, priori quod cum subiecto congruit adiuncto, alia atque scriptum videmus forma intellegendum est. Altera pars est de subiecto e casu obliquo repetendo. Tertium genus est, cum etiam novum aliquod vocabulum e praecedenti eiusdem stirpis, sed diversae classis vocabulo eliciendum est.

I.

Ab apertis igitur ad impeditiora progredienti mihi primum de subiecto aliquo semel posito, sed bis et altero quidem loco forma diversa, notione tamen simili et ab eadem stirpe derivata intellegendo quaerere est propositum. Qua in re quae primo loco tractanda videntur ad figuratum sermonem pertinent atque ad eam quidem licentiam quam Graeci *σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον,* constructionem ad sensum Latini vocant.[5]) Audacia hoc quoque in genere dicendi ceteros superat Thucydides[6]), quem ad perlustrandum propius iam accedamus.

Ac primum quidem de mutato post nomina collectiva in praedicatis numero videamus. Nam de notissima illa sermonis

---

[5]) De synesi post Baiterum in excursu X. Isocrati Bremiano adiecto unius oratoris locis usum summatim disseruit Bernhardius, paralip. synt. gr. p. 25 sq.

[6]) In illa per totam Graecorum orationem pervagata licentia Homerum modestiorem esse demonstrat La Roche, Stud. Homer. p. 91 adn.; omninoque quo recentiores sint scriptores eo facilius tales in numeris et generibus transitus concedere disces e Bernh. l. c. Cf. etiam J. Wrobel de generis, numeri casuumque anacoluthia apud tragicos graecos, diss. Vratisl. 1865.

graeci consuetudine quaerentibus, quod nomini collectivo simpliciter additur praedicatum plurale, exempla in brevi conspectu posuisse sufficiet. Numero igitur in praedicatis non mutato pluralem Thucydides aptat collectivis *δῆμος* VI, 35, 1. 60, 4.[7]) *κέρας* IV, 43, 3. *ὅμιλος* III, 1, 1. IV, 112, 3. VI, 17, 4. *πεζός* VII, 71, 6. *πλῆθος* I, 20, 2. 125, 1. V, 59, 4. VIII, 9, 3. 84, 3. *στρατιά* IV, 128, 2. VI, 100, 1. *στρατός* IV, 32, 2. VII, 71, 6. Herod. VII, 40, 3. IX, 102, 9. *στρατόπεδον* V, 60, 4. *φρουρά* IV, 57, 2. *τὸ κοινόν* I, 89, 3. IV, 78, 4. *τὸ ὑπήκοον* VI, 69, 3. *τὸ πλεῖστον* II, 4, 5. *ἕκαστος* IV, 69, 3; aliter res se habet, si pronomen *ἕκαστος* appositionis loco interiectum est ut VII, 27, 2 *δραχμὴν γὰρ τῆς ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανον* sc. *οἱ Θρᾷκες*, quod e praegressis repetendum est; item Herod. VII, 91, 4. 144, 5. IX, 93, 7. Neque raro talibus locis praedicatum ad appositionem praesertim si proxime abest accommodatum videmus, qua de re cf. Krueg. gr. 63, 1, 3 et Abichti ad Herod. VII, 104, 8 adnot.

Nomen vero collectivum utrum absolute positum sit an cum genetivo plurali coniunctum[8]) nihil refert, nisi quod illo multitudinis additamento transitus in pluralem numerum quodammodo adiuvari videtur. Graviorem numeri pluralis causam agnoveris in adiectis appositionibus quales sunt VI, 17, 4 (*ὅμιλος*) *ταχὺ δ' ἂν ὡς ἕκαστοι*[9]) . . . *προςχωροῖεν*. VII, 71, 6 *ὁ μὲν ναυτικὸς στρατός, ἄλλος ἄλλῃ* . . ., *ἐξέπεσον*. VIII, 84, 3 *τὸ δὲ πλῆθος* . . ., *οἷα δὴ ναῦται, ὥρμησαν ἐκραγέντες*. Cf. etiam VI, 32, 2 *ξυνεπηύχοντο δὲ καὶ ὁ ἄλλος ὅμιλος ὁ ἐκ τῆς γῆς τῶν τε πολιτῶν καὶ εἴτις ἄλλος εὔνους παρῆν σφίσι*. Quod exemplum regulae ab Ahlwardto in programmate Oldenburgensi a. 1804 prolatae, si nomen collectivum verbum sequeretur, tum verbum necessario singulari numero esse reddendum vitiosumque pluralem, non repugnat; pluralem enim *ξυνεπηύχοντο* suo loco esse nemo est quin videat; omnino autem legem illam omni dubitationi haud esse exemptam ostendit A. G. Lange, miscell. p. 118.

---

[7]) In citandis locis Thucydideis Popponis editione denuo a Stahlio curata usus paragraphos; in citandis Herodoteis Steinianae editionis versus affero.

[8]) Discrimen statuit Bernh. l. c. p. 28.

[9]) De hac formula distributiva (singuli deinceps) Herodoto et Thucydidi familiarissima cf. Stein. ad VI, 31, 5. Class. ad I, 3, 4.

Sed haec ut iam dixi trita sunt neque digna de quibus copiosius disseratur. Magis offendit quod post nomen collectivum haud raro numerorum intercedit varietas; cuius discrepantiae apud Thucydidem tria quae omnino cogitari possunt inveniuntur genera:

1. Participia ad idem collectivum pertinentia numero inter se differunt, ita ut alterum ad formam grammaticam alterum aeque ac verbum finitum ad sensum accommodatum sit. Eiusmodi exempla haec collecta habeo: V, 10, 10 *τὸ στράτευμα πᾶν ἤδη τῶν Ἀθηναίων φυγὸν χαλεπῶς καὶ πολλὰς ὁδοὺς τραπόμενοι . . . ἀπεκομίσθησαν.* Non sine causa, ut mihi quidem videtur, altero loco participium pluralis positum est; nam in fuga diversis itineribus facta non tam de cuncto exercitu quam de singulis militibus cogitabimus. VI, 60, 4 *ὁ δὲ δῆμος ἄσμενος λαβὼν . . . καὶ δεινὸν ποιούμενοι . . . ἔλυσαν.*

2. Numeri inter participium et verbum finitum differentiam habes: II, 53, 1 *ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα τις . . . ὁρῶντες.* IV, 85, 6. III, 80, 1 *ὁ δὲ δῆμος τῶν Κερκυραίων ἐν τούτῳ περιδεὴς γενόμενος . . . ἦσαν ἐς λόγους.* V, 82, 2 *Ἀργείων ὁ δῆμος κατ᾽ ὀλίγον ξυνιστάμενός τε καὶ ἀναθαρσήσας ἐπέθεντο τοῖς ὀλίγοις.* VI, 4, 5 *πλῆθος ἐλθὸν ξυγκατενείμαντο τὴν γῆν.* Cf. 44, 2. 61, 2.[10])

Neque aliter post nomina geographica, ubi latere solet notio gentis aut civitatis; cf. III, 2, 1 *Λέσβος πλὴν Μηθύμνης ἀπέστη ἀπ᾽ Ἀθηναίων, βουληθέντες μέν . . . ἀναγκασθέντες δέ . . .* V, 29, 2.

3. Multo autem saepius numeri post nomen collectivum discrepantia eo efficitur, quod verbo finito in singulari posito alterum adiungitur praedicatum plurale velut II, 100, 3 *ὁ δὲ στρατὸς τῶν Θρᾳκῶν . . . ἐσέβαλε . . . καὶ εἷλεν . . . Εὐρωπὸν*

---

[10]) Herod. III, 82, 12. IX, 67, 10. Paulo aliter VIII, 74, 6 *ἀνὴρ ἀνδρὶ παραστὰς σιγῇ λόγον ἐποιέετο, θῶνμα ποιεύμενοι . . .,* ubi e formula *ἀνὴρ ἀνδρί* rationem exhibente reciprocam (cf. IX, 5, 13 et Thuc. II, 84, 3) per se nascitur notio atque vis pluralis, quae adeo valet, ut etiam post subiectum neutri generis verbum ponatur in numero plurali ut Herod. IV, 112, 3 *προσεχώρεον δὲ πλησιαιτέρω τὸ στρατόπεδον τῷ στρατοπέδῳ ἐπ᾽ ἡμέρῃ ἑκάστῃ.*

δὲ ἐπολιόρκησαν μέν, ἑλεῖν δὲ οὐκ ἐδύναντο· ἔπειτα δὲ καὶ ἐς τὴν ἄλλην Μακεδονίαν προὐχώρει ... ἔσω δέ ... οὐκ ἀφίκοντο, ἀλλὰ ... ἐδῄουν. II, 18, 1.[11]) Similiter a numero singulari verbi finiti ad pluralem transit scriptor post nomina collectiva στρατιά VIII, 34, 1. II, 56, 3.[12]) δῆμος III, 72, 3. 75, 4. V, 82, 5. VI, 60, 4. VIII, 21. 54, 2. 3.[13]) ὄχλος VIII, 72, 2. κέρας IV, 96, 4. 43, 5. τὸ ναυτικόν II, 83, 1. ἀποικία I, 34, 1 πᾶσα ἀποικία ... τιμᾷ τὴν μητρόπολιν, ἀδικουμένη δὲ ἀλλοτριοῦται· οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῷ ὁμοῖοι ... εἶναι ἐκπέμπονται sc. οἱ ἄποικοι. Classenum hoc loco monentem ne αἱ ἀποικίαι suppleas fugisse videtur id propter masculina δοῦλοι et ὁμοῖοι omnino fieri non posse. πρεσβεία I, 72, 1 ἔτυχε γὰρ πρεσβεία ... παροῦσα, καὶ ὡς ᾔσθοντο τῶν λόγων sc. οἱ πρέσβεις. V, 31, 1. πόλις II, 21, 3 παντί τε τρόπῳ ἀνηρέθιστο ἡ πόλις καὶ τὸν Περικλέα ἐν ὀργῇ εἶχον sc. οἱ πολῖται. 68, 5. III, 42, 4. ἕκαστος II, 35, 2. 93, 2.[14])

Haud alienum mihi videtur pauca hic addere de loco III, 23, 2 ὁ δὲ διακομιζόμενος ἀεὶ ἵστατο ἐπὶ τοῦ χείλους τῆς τάφρου καὶ ἐντεῦθεν ἐτόξευόν τε καὶ ἠκόντιζον. Participium enim cum articulo coniunctum adverbio ἀεί addito (cf. I, 2, 1. IV, 68, 1. Her. IX, 116, 18. 102, 21 ibique Ab.) vim accipit iterativam et quae illa efficitur collectivam, ut si scriptum esset ὁπότε τις διακομίζοιτο, ἵστατο ... καὶ ἐντεῦθεν ἐτόξευόντε καὶ ἠκόντιζον.

Veniamus nunc ad eam numeri mutationem quae post nomina urbium et terrarum admittitur, ita ut ad alterum praedicatum plurale incolae subiecti vice intellegendi sint. Huc spectant quae legimus I, 24, 4 Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ... προελθόντος δὲ τοῦ χρόνου ἐγένετο [ἡ τῶν Ἐπιδαμνίων

---

[11]) Her. VIII, 16, 6. IV, 204, 2.

[12]) Her. VIII, 23, 7.

[13]) Her. IV, 11, 24.

[14]) His exemplis adde Herodotea ὅμιλος I, 88, 12. ἡ ἵππος V, 63, 20. 98, 20. I, 211, 7 ἐπελθοῦσα τῶν Μασσαγετέων τριτημορὶς τοῦ στρατοῦ ... ἐφόνευε ... καὶ ... ἰδόντες δαῖτα, ὡς ἐχειρώσαντο τοὺς ἐναντίους, κλιθέντες ἐδαίνυντο, πληρωθέντες δὲ φορβῆς καὶ οἴνου ηὗδον. Huc etiam referendus est locus II, 85, 3 τὸ θῆλυ γένος ... κατ᾽ ὧν ἐπλάσατο τὴν κεφαλὴν πηλῷ ... κἄπειτα ... λιποῦσαι τὸν νεκρόν ... τύπτονται ... sc. αἱ γυναῖκες.

πόλις] μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος· στασιάσαντες δὲ ἐν ἀλλήλοις … ἐφθάρησαν καὶ τῆς δυνάμεως τῆς πολλῆς ἐστερήθησαν sc. οἱ Ἐπιδάμνιοι, quod e praecedenti Ἐπίδαμνος repetitur. Discrepant codices post ἐγένετο; partim enim ἡ τῶν Ἐπιδαμνίων πόλις, partim ἡ τῶν Ἐπιδαμνίων δύναμις praebent. Quarum lectionum cum altera hanc solam vim habeat ut subiectum Ἐπίδαμνος repetatur, altera vero propter sequens adiectivum πολυάνθρωπος ne ferri quidem possit, cumque ad integritatem sententiae nihil desideretur, totum illud additamentum Stahlium et Classenum secutus tollendum esse censeo atque praedicata ἐγένετο … στασιάσαντες δέ … ἐφθάρησαν καὶ ἐστερήθησαν per synesin ad ipsum illud subiectum primarium Ἐπίδαμνος referenda. Saepius sic post nomina terrarum scriptum videmus; cf. I, 6, 1 πᾶσα γὰρ ἡ Ἑλλὰς[15]) ἐσιδηροφόρει … καὶ ξυνήθη τὴν δίαιταν μεθ' ὅπλων ἐποιήσαντο sc. οἱ Ἕλληνες. 13, 1. III, 2, 1.

Qui loci ita comparati sunt, ut nomina terrarum subiecti vice fungentia in priore iam praedicato singulari vim atque significationem praeferant personalem.[15]) Paulo insolentius res se habet II, 15, 1 ἡ Ἀττικὴ ἐς Θησέα ἀεὶ κατὰ πόλεις ᾠκεῖτο … καὶ ὁπότε μήτι δείσειαν οὐ ξυνῇσαν βουλευσόμενοι ὡς τὸν βασιλέα sc. οἱ Ἀττικοί. Subiectum enim ἡ Ἀττικὴ cum praedicato ᾠκεῖτο coniunctum nihil aliud significat nisi fines Atticorum, altero vero loco mutatis et numero et genere de ipsis incolis scriptor cogitare nos iubet; cf. IV, 53, 2 τὰ δὲ Κύθηρα νῆσός ἐστιν, … Λακεδαιμονίων δ' εἰσὶ τῶν περιοίκων sc. οἱ Κυθήριοι.

Huic autem quaestioni accedat brevis disputatio de genere masculino quod participiis et adiectivis in usu numeri pluralis conceditur. Saepissime enim Thucydides ad genus masculinum transit post subiecta pluralia νῆες et πόλεις, ubi homines designantur qui in navibus vel urbibus versantur. Rationes a scriptore ea in re servatae sunt hae:

1. Generis inter subiectum et attributum discrepantiam deprehendimus I, 110, 4 τριήρεις διάδοχοι πλέουσαι ἐς Αἴγυπτον

---

[15]) Ἑλλάς. Ἀντὶ τῶν Ἑλλήνων εἴρηται. Alexand. περὶ σχημ. VIII p. 471 et Tiber. p. 574.

ἔσχον . . . οὐκ εἰδότες τῶν γεγενημένων οὐδέν. Quo loco in verbo ἔσχον aliud atque commemoratum subiectum ante oculos scriptoris versatum esse cum ex adiectivo διάδοχοι, quod aliis locis (cf. III, 115, 2. VII, 15, 1. VIII, 85, 1) de hominibus tantum dicitur, tum e participio masculino εἰδότες patet; cf. II, 91, 1. 4. IV, 2, 3. VII, 22, 1. Paulo aliter II, 88, 1 τὸ πλῆθος τῶν νεῶν κατὰ σφᾶς αὐτοὺς ξυνιστάμενοι ἐφοβοῦντο. Nec praetermittendus est locus VIII, 102, 2, si cum vulgata πᾶσαι legere velis; sed verum vidit Reiskius cum dativum πάσαις restitueret, quam coniecturam Classenus et Stahlius in textum iure receperunt. Non necessaria videtur ea coniectura qua Stahlius sanandum censet locum I, 52, 1 αἱ Ἀττικαὶ τριάκοντα νῆες . . . ἐπέπλευσαν . . . ἐπὶ τὸν ἐν τοῖς Συβότοις λιμένα, ἐν ᾧ οἱ Κορίνθιοι ὥρμουν, βουλόμενοι εἰδέναι εἰ ναυμαχήσουσιν. Scripturam enim codicum βουλόμενοι perspicuitatis causa, ne perperam ad οἱ Κορίνθιοι referatur, in βουλόμεναι mutat; quae mutatio licet nullo paene negotio efficiatur, tamen acquiescendum puto in participio masculino βουλόμενοι, quod ut ad αἱ Ἀττικαὶ νῆες ἐπέπλευσαν non referas, dummodo attento animo legeris, vix potest fieri.

Praecedit subiectum πόλεις VIII, 64, 5 σωφροσύνην γὰρ λαβοῦσαι αἱ πόλεις καὶ ἄδειαν τῶν πρασσομένων ἐχώρησαν ἐπὶ . . . οἱ προτιμήσαντες.

2. Duorum verborum finitorum alterum ad subiectum πόλεις vel νῆες, alterum κατὰ σύνεσιν ad subiectum personale πολῖται vel ναῦται accommodatum videmus I, 7 πόλεις ἐκτίζοντο καὶ τοὺς ἰσθμοὺς ἀπελάμβανον ἐμπορίας τε ἕνεκα καὶ τῆς πρὸς τοὺς προσοίκους ἕκαστοι ἰσχύος et paulo post ἀπὸ θαλάσσης μᾶλλον ᾠκίσθησαν . . . (ἔφερον γὰρ ἀλλήλους τε καὶ τῶν ἄλλων ὅσοι ὄντες οὐ θαλάσσιοι κάτω ᾤκουν), καὶ μέχρι τοῦδε ἔτι ἀνῳκισμένοι εἰσίν. Reiskium secutus Classenus mavult femininum ad idem subiectum πόλεις referendum; sine iusta causa. Nam concedendum sane est verba ᾠκίσθησαν et καὶ μέχρι τοῦδε ἀνῳκισμένοι εἰσίν artius inter se cohaerere, quam ut subiecti differentiam patiantur. Sed quoniam ille a feminino ad masculinum genus transitus Thucydidi familiarissimus est[16]),

[16]) Non magis iuste quam alia multa hanc quoque structuram ad sensum factam reprehendit Dionys. Hal. de idiomat. cap. XI.

neque exstat apud scriptorem verbum *ἀνοικίζεσθαι* nisi de hominibus dictum (cf. I, 58, 2. VIII, 31, 2), codicum lectio *ἀνῳκισμένοι* quae ad incolas spectat si non praeferenda, at tamen toleranda videtur, praesertim cum masculinum etiam propter interposita *ἔφερον ... ᾤκουν* adhiberi facile potuerit; cf. IV, 108, 3.[17])

Post subiectum *αἱ νῆες* ad nautas fit transitus II, 25, 5 *αἱ νῆες περιπλεύσασαι ἀναλαμβάνουσιν αὐτοὺς καὶ ἐξανάγονται ἐκλιπόντες Φειάν.* Cf. III, 76. IV, 13, 3. VI, 50, 4. VIII, 26, 2. 31, 4. 34. 38, 5. 39, 3. 101, 1.[18]) Nec multum differt locus II, 84, 3 *ὡς ... ναῦς τε νηῒ προσέπιπτε καὶ τοῖς κοντοῖς διωθοῦντο, βοῇ τε χρώμενοι ... οὐδὲν κατήκουον ... καὶ ἀδύνατοι ὄντες ... παρεῖχον.* Classenus ad *διωθοῦντο* ex iis quae antecedunt subiectum repetit *αἱ νῆες*[19]); rectius tamen iam hic, id quod in verbis *βοῇ τε χρώμενοι ... παρεῖχον* dubitationem non habet, de ipsis nautis cogitabimus.

Sed redeamus iam ad anacoluthiam numeri ac primum quidem ad eam convertamur quae post nomen imperatoris nobis occurit. Qui cum exercitui praesit eiusque quasi gerat personam, partium ut ita dicam commutationem fieri posse facile intellegitur; itaque ut scriptor ex noto illo tritoque: „quod quis per alium facit ipse fecit" ea quae proprie sunt militum munera ipsi haud raro imperatori tribuit, ita post nomen ducis interdum in numerum transit pluralem animo nimirum una cum duce etiam milites complexus quorum opera ad res bello gerendas opus est. Huc spectant quae ad Thucydidis locum IV, 127, 2 — *ὡς (Βρασίδας) ἔχων τοὺς λογάδας ἐπικειμένους ὑφίστατο, τῇ τε πρώτῃ ὁρμῇ παρὰ γνώμην ἀντέστησαν καὶ ... δεχόμενοι ἠμύνοντο* sc. *οἱ μετ᾽ αὐτοῦ* — Ducas annotat: „*συμπεριέλαβεν ἐνταῦθα τῷ ἀριθμῷ καὶ τοὺς μετ᾽ αὐτοῦ τοῦ Βρασίδου λογάδας.*[20]) Praeterea a duce ad exercitum fit

---

17) De discrimine quodam hic quoque statuendo cf. adn. 15. Her. VIII, 73, 15.

18) Saepius etiam ad sensum casus obliqui participium accommodari in transcursu memorare libet; cf. Thuc. III, 79, 3. 110, 2, VI, 53, 1. Her. I, 151, 5. 162, 7. VIII, 28, 1.

19) Cf. adn. 10 med.

20) Utrum milites ipsi nominati sint necne nihil ad rem, nisi quod tali additamento numerum pluralem magis excusari recte animad-

transitus II, 75, 1. 98, 2. 101, 4. III, 51, 4. 112, 5. IV, 9, 1. 90, 1. VII, 3, 3. His quos modo attuli locis scriptor ad praedicatum plurale transiens de militibus imperio ducis oboedientibus cogitat; quod optime illustratur loco III, 102, 2 (*Εὐρύλοχος*) *ἐχώρει τῷ στρατῷ . . . καὶ πορευόμενος Οἰνεῶνα αἱρεῖ . . . γενόμενοι δ' ἐν τῇ Ναυπακτίᾳ καὶ οἱ Αἰτωλοὶ ἅμα ἤδη προσβεβοηθηκότες ἐδῄουν . . . καί εἷλον.* Nam cum in verbis *γενόμενοι δ' ἐν τῇ Ναυπακτία* subaudiatur subiectum *οἱ μετ' Εὐρυλόχου,* per particulam *καί* alterum *οἱ Αἰτωλοὶ ἅμα ἤδη προσβεβοηθηκότες* adiungitur, quod usitatius sane fieret, si prius subiectum quod in nomine *Εὐρύλοχος* latet pronomine *αὐτοί* exceptum esset. Et censuit Steupius[21]) scribendum esse *αὐτοὶ καὶ οἱ Αἰτωλοί,* qua tamen coniectura codicum auctoritati repugnante non opus est. Minus apte Stahlius secundum schema quod Chalcidicum appellatur *προσβεβοηθηκότες* pariter atque *ἐν τῇ Ναυπακτίᾳ* cum participio *γενόμενοι* iungit; primum enim adverbio *ἤδη* et perfecti participio (cf. I, 89, 2. III, 6, 2) Aetolos iam antequam Naupactum venirent copias cum Eurylocho coniunxisse satis indicatur, tum Stahlii interpretationi obstare mihi videtur quod verbum *γίγνεσθαι* priore loco idem atque ,adesse' significans altero ad *προσβεβοηθηκότες* relatum vice verbi auxiliaris fungeretur, quae discrepantia probata quam supra commendabam explicatione tollitur.

Similiter ad consilium cui dux interest transitus factus est VI, 25, 2, ubi post *Νικίας εἶπεν ὅτι* scriptor pergit *τὴν δὲ ἄλλην παρασκευήν . . . ἑτοιμασάμενοι ἄξειν* sc. *αὐτός τε καὶ οἱ ἄλλοι στρατηγοί,* quorum iam antea verbis *ὅτι καὶ μετὰ τῶν ξυναρχόντων καθ' ἡσυχίαν μᾶλλον βουλεύσοιτο* mentio facta erat. Parum commode Stahlius comparat I, 91, 5 *Θεμιστοκλῆς εἶπεν . . . τήν τε γὰρ πόλιν ὅτε ἐδόκει ἐκλιπεῖν ἄμεινον εἶναι καὶ ἐς τὰς ναῦς ἐσβῆναι, ἄνευ ἐκείνων* [*ἔφασαν* sc. *αὐτός τε*

---

verteris. Cf. Her. VI, 43, 19. VIII, 115, 2. I, 186, 19 *ἐπιτείνεσκε δὲ ἐπ' αὐτήν, ὅκως μὲν ἡμέρη γένοιτο, ξύλα τετράγωνα . . ., τὰς δὲ νύκτας τὰ ξύλα ταῦτα ἀπαιρέεσκον* sc. *οἱ τῆς βασιλείας τέκτονες,* vel ut ipsius scriptoris verbis utar (cf. Ab. ad I, 118, 1. VII, 34, 2) simulque ut accuratius dicam, *οὗτοι τοῖσι προσετέτακτο* seu *προσεκέετο ταῦτα πρήσσειν.* II, 175, 12. III, 19, 6.

[21]) Stud. Thuc. diss. Bonn. 1868 p. 50.

καὶ οἱ ἄλλοι πρέσβεις] γνόντες τολμῆσαι καὶ . . . οὐδενὸς ὕστεροι γρώμῃ φανῆναι. Nam si modo Kruegerum secutus *ἔφασαν* ut ab interprete additum suo iure uncis inclusit, pluralia *γνόντες . . . ὕστεροι* non ad Themistoclem eiusque collegas solos, sed ad universos Athenienses referre debuit.

Ab his distinguenda sunt quae scripta invenimus apud Thucydidem VI, 17, 7 *οἱ γάρ πατέρες ἡμῶν τοὺς αὐτοὺς τούτους οὕσπερ νῦν φασι πολεμίους . . .* Nam dicens *οὕσπερ νῦν φασι . . .* Alcibiades respicit ad Niciae qui ante eum contionatus est orationis locum VI, 10, 1 *φημὶ γὰρ ὑμᾶς πολεμίους πολλοὺς ἐνθάδε ὑπολιπόντας . . .* Malueris igitur singularem *φησί* illi *φημί* respondentem atque similiter usurpatum VI, 84, 3 *ὁ Χαλκιδεύς, ὃν ἀλόγως ἡμᾶς φησι δουλωσαμένους τοὺς ἐνθάδε ἐλευθεροῦν.* Neque tamen quidquam mutandum est; verum enim iam scholiasta vidit annotans in plurali illo *φασί* subiectum subaudiendum esse *οἱ περὶ τὸν Νικίαν.*

Denique VI, 56, 1 *Ἵππαρχος Ἁρμόδιον ἀπαρνηθέντα τὴν πεἱρασιν προυπηλάκισεν· ἀδελφὴν γὰρ αὐτοῦ κόρην ἀπαγγείλαντες ἥκειν κανοῦν οἴσουσαν ἐν πομπῇ τινι ἀπήλασαν, λέγοντες . . .* breviter advertendum est, spreto quem propter superius *προυπηλάκισεν* exspectaveris numero singulari transitum ad Hipparchum eiusque fratrem Hippiam fieri, quippe quibus officia ad pompam instituendam pertinentia communiter exsequenda fuerint.[22])

Quibus expositis addamus statim quae de transitu a plurali numero ad singularem dicenda sunt. Iam primum hoc animadverti licet contrariam hanc numeri anacoluthiam apud Thucydidem rarissimam esse; exemplum exstat III, 17, 3 *τήν τε γὰρ Ποτείδαιαν δίδραχμοι ὁπλῖται ἐφρούρουν· αὐτῷ γὰρ καὶ*

[22]) Contra etiam nonnunquam, ubi socii vel milites diserte commemorati sunt, in singulari procedit oratio, quasi de imperatore solo sermo fuerit; cf. IV, 112, 3 *Βρασίδας καὶ τὸ πλῆθος εὐθὺς ἄνω ἐτράπετο, βουλόμενος . . .* Exempla collegit Ullrich, Beitr. z. Krit. I, 14. Cf. etiam IV, 37, 1 *Γνοὺς δὲ ὁ Κλέων καὶ ὁ Δημοσθένης ὅτι . . . ἔπαυσαν,* ubi singularis (pro usitatiore *γνόντες*) ad propius nomen accommodatum est. Si de pluribus ducibus sermo fuisset postea eorum principem solum spectari probaturus Poppo, de eloc. Thuc. p. 97 falso attulit IV, 123, 3; quo de loco prorsus aliter explicando vide editores recentiores.

ὑπηρέτῃ δραχμὴν ἐλάμβανε τῆς ἡμέρας sc. unusquisque *ὁπλίτης*; omissum igitur est pronomen *ἕκαστος*, quod loco prorsus simili VII, 27, 2 adscriptum videmus. Monendum sane est de totius capitis auctore homines doctos inter se dissentire.[23]) Sed quod Classenus causis, quibus commotus caput septimum decimum cum Steupio Thucydidi abiudicandum censet, etiam singularem illum subiecto plurali adiunctum annumerat, equidem non assentior. Nam etsi exemplum Thucydideum prorsus simile frustra circumspicimus, tamen illa dicendi ratio a graeco sermone minime abhorret.[24]) Apud Herodotum ipsum quidem in moribus, sacris, artibus describendis pluralem numerum saepissime excipi singulari exempla in adnotatione adscripta demonstrabunt.[25]) Paulum recedit ab exemplo modo tractato locus I, 120, 3 *ἀνδρῶν γὰρ σωφρόνων μέν ἐστιν . . . ἡσυχάζειν, ἀγαθῶν δὲ ἀδικουμένους ἐκ μὲν εἰρήνης πολεμεῖν . . . καὶ μήτε . . . μήτε τῷ ἡσυχίῳ τῆς εἰρήνης ἡδόμενον ἀδικεῖσθαι.* Propter *ἀνδρῶν* . . . pluralem *ἡδομένους* malueris; sed haec ita dicta sunt, quasi supra *ἀγαθοῦ γὰρ ἀνδρός ἐστιν* . . . scriptum esset.[26])

Sequitur ut de repetendo ex negativo subiecto affirmativo dicam. Ac primum quidem de eis locis exponendum mihi videtur, ubi subiecto negativo additur participium appositivum, cui vis causalis subest, ita ut negatio ad verbum solum finitum neque item ad participium pertineat.

[23]) Quae in utramque partem ea de re prolata sunt attigit suamque ipsius sententiam aperuit Class. adn. crit. ad. III, 17.

[24]) Cf. Bernh. synt. gr. p. 419. Kuehn. gr. gr. II², 77 sq.

[25]) Cf. I, 195, 1 *ἐσθῆτι δὲ τοιῇδε χρέωνται (οἱ Βαβυλώνιοι), κιθῶνι ποδηνεκέι λινέῳ, καὶ ἐπὶ τοῦτον ἄλλον εἰρίνεον κιθῶνα ἐπενδύει* sc. *ὁ Βαβυλώνιος*. I, 132, 5. 216, 7. II, 38, 3. 47, 16. 65, 19. 70, 3. 71, 3. 96, 18. IV, 22, 8. 67, 9. 172, 21. V, 16, 20. VI, 119, 13. VII, 85, 10. VIII, 98, 9. Pronomen *ἕκαστος* additum est II, 14, 12 *οἱ Αἰγύπτιοι οὔτε ἀρότρῳ ἀναρρηγνύντες αὔλακας ἔχουσι πόνους οὔτε . . . ἀλλ' ἐπεάν . . . τότε σπείρας ἕκαστος τὴν ἑωυτοῦ ἄρουραν ἐσβάλλει κτλ.* cf. IV, 103, 12. 65, 3. V, 16, 12. Nomen in singulari positum repetitum est IV, 64, 1 . . . *ἐπεὰν τὸν πρῶτον ἄνδρα καταβάλῃ ἀνὴρ Σκύθης, τοῦ αἵματος ἐμπίνει.*

[26]) Hoc loco aeque bene pluralem *ἡδομένους* collocari potuisse, illo vero de quo supra exposui singularem sensu requiri bene monet Herbstius Classenum copiosius refutans in Philolog. XLII p. 687.

Cuius generis dicendi pauca exstant exempla; cf. VIII, 66, 2 *ἀντέλεγέ τε οὐδεὶς ἔτι τῶν ἄλλων, δεδιὼς καὶ ὁρῶν πολὺ τὸ ξυνεστηκός* sc. *ἕκαστος* ex *οὐδείς* mutuandum; nemo contra dicebat veritus . . .[27]) Quam interpretationem veram esse perspicuum fit, si perpendimus non minus bene scribi potuisse *ἀντέλεγέ τε οὐδεὶς ἔτι τῶν ἄλλων, δεδιότων καὶ ὁρώντων πολὺ τὸ ξυνεστηκός*. Cf. VI, 84, 1. Neque vero huc referendus est locus IV, 10, 1; nam quod interpretes nonnulli pro *μᾶλλον ἤ* scribunt *μᾶλλον δέ* e superiore *μηδείς* contrarium *ἕκαστος* repetentes, ab altera codicum lectione *μᾶλλον ἤ* usque ad Bekkerum recepta sine iusta causa recesserunt. Plura eo de loco dicere omitto; nam veterem scripturam restituendam esse satis probatur similibus apud Thucydidem locutionibus, quas in commentario Stahlius maximeque Classenus in adn. crit. ad l. c. protulerunt.

Saepius tali supplemento opus est in enuntiatis per coniunctiones *ἀλλά* vel *δέ* inter se oppositis atque ita comparatis, ut prior sententiae pars negativa ad proprium verborum sensum nihil valeat, sed ad augendam vim posterioris partis additum sit. Qua de re dixit Classenus ad II, 98, 3, ubi sic scriptum videmus: *ἀπεγίγνετο μὲν οὐδὲν τοῦ στρατοῦ . . . προσεγίγνετο δέ* sc. *πᾶντι* vel potius *οὐκ ὀλίγον*. Item in oppositionibus per particulas *μέν* — *δέ* effectis[28]) ex *οὐδείς* subaudiendum est *πάντες* II, 84, 3 *οἱ Ἀθηναῖοι* (*τοὺς πολεμίους*) *κατέστησαν ἐς ἀλκὴν μὲν μηδένα τρέπεσθαι αὐτῶν ὑπὸ τῆς ταραχῆς, φεύγειν δέ* sc. *πάντας*. Dixerit fortasse quispiam praecedere genetivum partitivum *αὐτῶν*, atque ex eo subiectum *αὐτούς* repetendum esse. Neque tamen ratio qua sententiae inter se excipiunt ea est, ut notione *πάντας* carere possimus; idem animadvertendum videtur II, 42, 4. III, 22, 6. Her. II, 165, 5. IX, 70, 21.

Non adeo vulgaria sunt quae legimus II, 53, 4 *τῶν δὲ ἁμαρτημάτων οὐδεὶς ἐλπίζων μέχρι τοῦ δίκην γενέσθαι βιοὺς ἂν τὴν τιμωρίαν ἀντιδοῦναι, πολὺ δὲ μείζω τὴν ἤδη*

---

[27]) Latinos quoque sic loqui loco probatur Taciteo histor. II, 52, 9 ubi vide Heraeum. Cf. Haase, Vorl. I, 205.

[28]) De hac particularum vi paratactica cf. Oeltze, de partic. *μέν* — *δέ* apud Thucyd. usu, diss. Hal. 1887 p. 13.

κατεψηφισμένην σφῶν ἐπικρεμασθῆναι sc. *πάντες ἐλπίζοντες*, attenuata verbi *ἐλπίζειν* vi in significationem generalem *νομίζειν* sive *ἡγεῖσθαι*.[29])

E pronomine *οὐδέτερος* contrarium *ἑκάτερος* repetendum est V, 14, 1 *ὥστε πολέμου μὲν μηδὲν ἔτι ἅψασθαι μηδετέρους, πρὸς δὲ τὴν εἰρήνην μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον* sc. *ἑκάτεροι*. Praeterquam quod antithesis reticetur hoc loco offendit duarum partium dissimilitudo; exspectamus enim concinnitatis gratia pro *εἶχον* infinitum *ἔχειν* sc. *ἑκατέρους*. At mutata praeter sententiae rationem constructione alterum membrum e pendente structura solutum anacoluthon efficit.[30])

Enuntiatum affirmativum per particulam *ἀλλά* opponitur IV, 100, 4 *ὥστε μηδένα ἔτι ἐπ' αὐτοῦ μεῖναι, ἀλλὰ ἀπολιπόντας ἐς φυγὴν καταστῆναι*. V, 42, 1 *ὅρκοι παλαιοὶ μηδετέρους οἰκεῖν τὸ χωρίον, ἀλλὰ κοινῇ νέμειν* sc. *ἑκατέρους*. Paulo aliter iudicandum est de loco IV, 72, 4 *οὐδέτεροι τελευτήσαντες ἀπεκρίθησαν, ἀλλ' οἱ μὲν Βοιωτοὶ πρὸς τοὺς ἑαυτῶν, οἱ δὲ ἐπὶ τὴν Νίσαιαν*. Breviter enim astricta sunt quae planius sic dicenda erant: *οὐδέτεροι τελευτήσαντες ἀπεκρίθησαν, ἀλλ' ἑκάτεροι ἀπεκρίθησαν, οἱ μέν ... οἱ δέ ...*, ita ut verba *οἱ μέν ... οἱ δέ ...* appositionis partitivae loco pronomini *ἑκάτεροι* quod ex *οὐδέτεροι* repetitur, adiecta sint. Tenendum tamen est verbum *ἀποκρίνεσθαι* priore loco ,superiorem discedere' (cf. II, 49, 1), altero per zeugma quod vocant

---

29) Cf. Her. I, 99, 5. VI, 12, 22. Paulisper immoremur loco I, 160, 16 *Χίων οὐδεὶς ἐκ τοῦ Ἀταρνέος τούτου οὔτε οὐλὰς κριθέων πρόχυσιν ἐποιέετο θεῶν οὐδενὶ οὔτε πέμματα ἐπέσσετο καρποῦ τοῦ ἐνθεῦτεν, ἀπείχετό τε τῶν πάντων ἱρῶν τὰ πάντα ἐκ τῆς χώρης ταύτης γινόμενα*. Existit enim quaestio verbum *ἀπείχετο* utrum passive cum subiecto *πάντα* iungamus an ad subiectum *Χίων ἕκαστος* ex *Χίων οὐδείς* repetendum referamus. Ac Steinius quidem illud praeferens vertensque „wurde ferngehalten" talem verbi *ἀπέχειν* usum, testante Kruegero prorsus insolitum, vereor ne ullo exemplo alio confirmare nequeat. Quae cum ita sint cumque genus praedicatorum *ἐποιέετο* et *ἐπέσσετο* concinnitatis gratia hoc quoque loco medium comprobet, alteram illam interpretationem veram esse statuo.

30) De hoc ab enuntiatione consecutiva ad sententiam liberam ac per se constantem transitu cf. Kampfner, de anacoluthis apud Thucydidem, diss. Monaster. 1868 p. 42, 6 et Oeltze l. c. p. 46.

notione generali nihil aliud nisi ,discedere' valere.[31]) Denique I, 49, 7 *διεκέκριτο οὐδὲν ἔτι, ἀλλὰ ξυνέπεσεν ἐς τοῦτο ἀνάγκης, ὥστε* . . . dubitari potest, utrum ex *οὐδέν* contrarium *πάντα* repetendum an *ξυνέπεσεν* impersonaliter (schol.: *ἤγουν τὰ πράγματα*) dictum sit. Ac mihi quidem respicienti omne talium locutionum genus ipsiusque Thucydidis locum IV, 68, 3 hic quoque de constructione impersonali cogitandum esse puto.[32])

Haec habui quae de subiecto bis atque altero quidem loco alia contrariave forma cogitando dicerem. Nam de memorabili illa sententiarum structura, quod Thucydides haud raro in una eademque verborum complexione subiecta vel coartando vel amplificando variat, quod dicendi genus allatis exemplis Classenus proleg. p. LXXXIII explicat, ab aliis satis superque expositum videtur.[33]) Pergamus igitur statim ad eam subiecti subaudiendi rationem, cum ex antecedenti casu obliquo nominis alicuius subiectum repetendum est.

II.

Hoc genus dicendi in lingua graeca frequentissimum est atque ita comparatum, ut nomen aliquod casu obliquo modo functum paulo post pro subiecto accipiendum nec pronomine quod dicunt anaphorico indicatum sit. Res notior et pervulgatior videri debet, quam ut in locis expeditioribus neque ullam difficultatem praebentibus multus sim; eos potius locos tractabo, ubi ipsius orationis indiciis non suppeditantibus repentina subiecti mutatio ambiguitate quadam non caret, neque, subiectum

[31]) Huc non referendus est locus Herodoteus I, 76, 16, de quo cf. J. A. Heikel, de participiorum usu Herodoteo, diss. Helsingf. 1884 p. 122.

[32]) Antithesin in talibus enuntiatis non semper reticeri, sed interdum etiam verbis exprimi apparet Thucyd. I, 30, 4 *ἐπέπλεόν τε οὐδέτεροι ἀλλήλοις, ἀλλά . . . ἀνεχώρησαν ἐπ' οἶκον ἑκάτεροι.* Cf. Her. VII, 9 γ, 8.

[33]) Cf. Kloucek, Ueber den sogenannten Nominativus absolutus bei Thucydides, Leitmeritz 1859, quem ex parte correxit Boehmius ad I, 49, 4. Schulze, quaest. Thucyd. diss. Gotting. 1872 p. 1 sq. Balkenholl, de particip. usu Thucyd. diss. Gotting. 1882 p. 54 sq. Nagel, quaest. ad particip. usum Thucyd. pertinent. diss. Hal. 1886 p. 42. Heikel, l. c. §§ 17. 90.

quid et unde suppleamus, perspicuum fit nisi attento ad sententiarum cohaerentiam animo legentibus.[34])

1. Parataxis copulativa: III, 62, 5 *ἡ ξύμπασα πόλις οὐκ αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς τοῦτ' ἔπραξεν, οὐδ' ἄξιον αὐτῇ ὀνειδίσαι, ὧν μὴ μετὰ νόμων ἥμαρτεν· ἐπειδὴ γοῦν ὅ τε Μῆδος ἀπῆλθε καὶ τοὺς νόμους ἔλαβε* sc. *ἡ πόλις*. Non multum haec habent offensionis; neque enim in altero praedicato subiecti mutatio statuenda est, sed potius reditus ad subiectum primarium, ad quod non redire scriptorem miramur I, 98, 3, ubi, postquam de Atheniensibus verba fecit, pergit *πρὸς δὲ Καρυστίους αὐτοῖς (τοῖς Ἀθηναίοις) ἄνευ τῶν ἄλλων Εὐβοέων πόλεμος ἐγένετο, καὶ χρόνῳ ξυνέβησαν καθ' ὁμολογίαν* sc. *οἱ Καρύστιοι*. Desideramus sane subiectum *οἱ Ἀθηναῖοι*, idem nimirum quod et in praecedentibus et sequentibus verbis valet. Sed haec in transcursu tanquam dixerim nec plura de loco II, 3, 4 *φυλάξαντες ἔτι νύκτα καὶ αὐτὸ τὸ περίορθρον ἐχώρουν (οἱ Πλαταιῆς) ἐκ τῶν οἰκιῶν ἐπ' αὐτούς, ὅπως μὴ κατὰ φῶς θαρσαλεωτέροις οὖσι προσφέρωνται καὶ σφίσιν ἐκ τοῦ ἴσου γίγνωνται* sc. *ἐκεῖνοι*, quod ex *αὐτούς* subauditur; quo de subiecto cogitandum esse e pronomine *σφίσι* facile intellegitur.

Neque insolentior subiecti mutatio ea est quae occurrit I, 51, 2 *τοῖς δὲ Κερκυραίοις οὐχ ἑωρῶντο (οἱ Ἀθηναῖοι), καὶ ἐθαύμαζον* sc. *οἱ Κερκυραῖοι*. Praevaluit enim hoc loco subiectum ut ita dicam logicum, quasi scriptum esset *οἱ δὲ Κερκυραῖοι οὐχ ἑώρων αὐτούς, καὶ ἐθαύμαζον*, quae quidem verba communi consuetudini sermonis magis convenirent. Locus simillimus exstat VI, 27, 2 *τοὺς δράσαντας ᾔδει οὐδείς, ἀλλὰ μεγάλοις μηνύτροις δημοσίᾳ οὗτοί τε ἐζητοῦντο, καὶ προσέτι ἐψηφίσαντο* sc. *ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος*, nisi quod deest in passivo *ἐζητοῦντο* persona agens (*ὑπὸ τοῦ δήμου*), satis nimirum dativo *δημοσίᾳ* significata. Cf. IV, 93, 3. VII, 6, 3.

Nec desunt exempla, in quibus genetivi absoluti subiectum mutatur. Ac primum quidem molestissima subiecti mutatio statuenda est IV, 8, 8 — *ἐκπολιορκήσειν τὸ χωρίον κατὰ τὸ εἰκός, σίτου τε οὐκ ἐνόντος καὶ δι' ὀλίγης παρασκευῆς*

[34]) Cf. Class. proleg. p. LXXXIII.

κατειλημμένου —, si modo genetivus *κατειλημμένου*, qui est in codicibus, retinetur; subaudiendum enim est *αὐτοῦ* (*τοῦ χωρίου*), quod in tanta ipsius nominis atque genetivi *σίτου* vicinia ferri vix potest. Qua re commoti editores recentiores Dobraeum secuti accusativum *κατειλημμένον* iure restituerunt, ita ut absoluto participio addatur coniunctum vertendumque sit: „expugnaturos esse locum, cum neque frumentum inesset et exiguo apparatu occupatus esset". Dissimilium participiorum copulationem neque Dobraei emendationi obstare et ipsius scriptoris exemplis satis defendi ex exemplis a Krueger. gr. gr. § 56, 14, 2 allatis apparet. Ex eodem usu Thucydideo diversos participiorum casus iungendi[35]) Kruegero IV, 96, 3 — *ὑποχωρησάντων γὰρ αὐτοῖς* (*τοῖς Θεσπιεῦσιν*) *τῶν παρατεταγμένων, καὶ κυκλωθέντων ἐν ὀλίγῳ, οἵπερ διεφθάρησαν Θεσπιέων, ἐν χερσὶν ἀμυνόμενοι κατεκόπησαν* — conicienti pro genetivo *κυκλωθέντων* nominativum *κυκλωθέντες* assentiendum non puto; nam coniecturam illam ad proximum genetivum partitivum *Θεσπιέων* aptam esse bene negat Stahlius. Notanda sane est subiectorum varietas in genetivis artissime inter se coniunctis quibus sensus similis subest, quoniam uterque causam verborum *ἐν χερσὶν ἀμυνόμενοι κατεκόπησαν* exhibet. Idem, nisi quod genetivi absoluti tempori definiendo inserviunt, animadverti licet I, 3, 2 *Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων, καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελίᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις* ... Subiectum enim ad *ἐπαγομένων* quod est *ἄλλων τινῶν* e sententiarum conexu cognoscitur et verbis *ἐς τὰς ἄλλας πόλεις* indicatum est.

Nunc revertamur ad propositum. Ex iis quae modo exposui iam perspicitur subiecti repentinam mutationem neque numero neque genere in altero praedicato patefactam post particulam *καί* simpliciter copulantem rariorem esse.[36]) Multo

---

[35]) Cf. E. Pannicke, de austera Thucydidis compositione, quatenus ex copulatione dissimilium orationis partium perspici possit, diss. Berol. 1867 p. 9 sq. 16. Heikel, l. c. § 22, p. 47.

[36]) Frequentiorem apud Herodotum esse recte docet Bernh. synt. graec. p. 468; exempla ibi desiderata haec collecta habeo: I, 33, 1 *ταῦτα λέγων τῷ Κροίσῳ οὔ κως οὔτε ἐχαρίζετο* (*Σόλων*), *οὔτε λόγου μιν ποιησάμενος οὐδενὸς* (= *λόγου τέ μιν ποιησάμενος οὐδενός*) *ἀποπέμπεται*

crebrius eam mutationem admissam reperiemus, si subest particulae *καί* maior quaedam vis, quam nos reddere solemus verbis „und nunmehr, und wirklich". Cf. II, 79, 5 *οἱ ἐκ τῆς Σπαρτώλου ψιλοί . . . ἐπιτίθενται . . . τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ ἀναχωροῦσιν* . . . sc. *οἱ Ἀθηναῖοι.* 91, 1. VI, 98, 2. VIII, 44, 2 *ἐξεφόβησαν μὲν τοὺς πολλοὺς οὐκ εἰδότας τὰ πρασσόμενα, καὶ ἔφευγον* sc. *οἱ πολλοί.* Classeno recipienti hoc loco codicis Vatic. scripturam *ἔφυγον* concedendum sane videtur aoristum praecedenti *ἐξεφόβησαν* magis respondere; at bene monet Stahlius incolas coepisse quidem profugere, sed fugam eorum mox intermissam esse ex proximis apparere. III, 50, 3 *παρέλαβον δὲ καὶ τὰ ἐν τῇ ἠπείρῳ πολίσματα οἱ Ἀθηναῖοι ὅσων Μυτιληναῖοι ἐκράτουν, καὶ ὑπήκουον ὕστερον Ἀθηναίων* sc. *τὰ πολίσματα.* Opposuerit fortasse quispiam propter pluralem *ὑπήκουον* subiectum supplendum esse urbium incolas; at in praedicato plurali cum neutri generis subiecto plurali coniuncto haerere non debemus (cf. Krueg. ad Thuc. I, 58, 1), praesertim cum hoc loco pluralis etiam addito pronomine numerali *ὅσων* (*Μυτιληναῖοι ἐκράτουν*) excusetur.[37])

Similiter atque hic causae rerum cum iis quae effecta sunt coniunguntur ita, ut priore enuntiationis parte quid faciendum sit indicetur, altera ii quibus illud mandatum erat, rem perfecisse dicantur V, 31, 3 *Ἠλεῖοι . . . τοῖς Λεπρεάταις τάλαντον ἔταξαν ἀποφέρειν· καὶ μέχρι τοῦ Ἀττικοῦ πολέμου ἀπέφερον* sc. *οἱ Λεπρεᾶται.* III, 5, 4. 52, 5 *οἱ δὲ* (*Πλαταιῆς*) *ἔλεγον,*

---

sc. *Κροῖσος.* Simillime VI, 30, 1 *εἰ μέν νυν, ὡς ἐζωγρήθη, ἄχθη ἀγόμενος παρὰ βασιλέα Δαρεῖον, ὁ δὲ οὔτ' ἂν ἔπαθε κακὸν οὐδὲν δοκέειν ἐμοί, ἀπῆκέ τ' ἂν αὐτῷ τὴν αἰτίην* sc. *Δαρεῖος*; neque tamen praetermittendum est hoc loco repentinum ad novum subiectum transitum eo magis offendere, quod subiectum in protasi valens verbis *ὁ δέ* in apodosi exceptum est. Cetera exempla plus minusve similia invenies I, 31, 1. II, 221 *δ*, 1. III, 119, 29. 130, 4. V, 35, 2. VII, 37, 10. 208, 15. IX, 51, 10. IV, 79, 16. Exempla ex aliis quibusdam scriptoribus collegerunt Krueger, de auth. p. 32. 48. Stallbaum ad Plat. Phaed. 72, b. Protag. 320, a. b. Civ. 360, a. Maetzner ad Antiph. I, 26. Lycurg. 25, p. 128. Schoemann ad Isae. 4, 3.

[37]) Cf. Class. ad VI, 62, 5 et plura apud R. Franz, de verbo apud Graecos coniuncto cum neutri generis subiecto plurali, diss. Bonn. 1875 p. 48.

αἰτησάμενοι μακρότερα εἰπεῖν καὶ προτάξαντες σφῶν αὐτῶν Ἀστύμαχόν τε τὸν Ἀσωπολάου καὶ Λάκωνα τὸν Ἀειμνήστου, πρόξενον ὄντα Λακεδαιμονίων· καὶ ἐπελθόντες ἔλεγον τοιάδε· sc. *Ἀστύμαχός τε καὶ Λάκων*; nam ad hos solos, utpote Plataeensium causae patronos constitutos, illud *ἔλεγον* pertinet. Quam ut tolleret subiectorum varietatem Herwerdenus (Stud. Thuc. p. 44) *οἱ δὲ λόγον αἰτησάμενοι μακρότερον εἰπεῖν* scribendum proposuit delens cum Kruegero *καί* ante *ἐπελθόντες*. Sed appellatis nominibus eorum qui verba fecerunt *ἐπελθόντες* parum commode ad omnes Plataeenses refertur.

His exemplis apte annectuntur alia nonnulla, ubi sententiarum coniunctio per particulam *δέ* copulativam efficitur. Cf. I, 24, 7 *οἱ Ἐπιδάμνιοι πέμπουσιν ἐς τὴν Κέρκυραν πρέσβεις ὡς μητρόπολιν οὖσαν, δεόμενοι ... ταῦτα δὲ ἱκέται καθεζόμενοι ἐς τὸ Ἥραιον ἐδέοντο* sc. *οἱ πρέσβεις*. Nam de his solis non tam propter *ἐδέοντο*, quippe quod ut supra participium *δεόμενοι* etiam ad omnes Epidamnios referri liceat, quam propter *ἱκέται καθεζόμενοι ἐς τὸ Ἥραιον* cogitandum videtur. I, 26, 1.[38])

Iam disputationem nostram de subiecto post particulam illam *καί* mutato ad finem perducamus. Superest enim locus satis ambiguus et ab omnibus quotquot nostra extiterunt aetate editoribus temptatus I, 51, 4 *τοῖς δὲ Κερκυραίοις στρατοπεδευομένοις ἐπὶ τῇ Λευκίμνῃ αἱ εἴκοσι νῆες ἀπὸ τῶν Ἀθηνῶν αὗται ... κατέπλεον ἐς τὸ στρατόπεδον οὐ πολλῷ ὕστερον ἢ ὤφθησαν. οἱ δὲ Κερκυραῖοι ἐφοβήθησαν μὴ πολέμιαι ὦσιν, ἔπειτα δὲ ἔγνωσαν· καὶ ὡρμίσαντο.* Quaeritur enim utrum verbum *ὡρμίσαντο* ad Corcyraeos an ad naves Atheniensium spectet, ita ut subiecti mutatio statuenda sit. Quod ne fieret scholiasta eumque secutus Portus verbo *ὡρμίσαντο* vim tribuerunt transitivam, ut esset: „in suas stationes receperunt". Quae interpretatio quamvis sensum praebeat optimum, tamen reicienda est, quia verbum *ὁρμίζεσθαι* transitive usurpatum testante Classeno nusquam legitur. Ac ne Stahlio quidem assentiendum arbitror idem subiectum *οἱ Κερκυραῖοι* retinenti atque vertenti: „portum intrarunt", tanquam eiusdem rei perfectio significetur, cuius initium § 4 participio *στρατο-*

38) Her. II, 160, 11. IV, 108, 6. VII, 88, 8.

πεδευομένοις indicatum erat. Primum enim *στρατοπεδευομένοις* non de conatu (= castra navalia collocaturis), sed de statu perfecto (= castra iam habentibus) intellegendum neque ad eam vim exprimendam perfecto *ἐστρατοπεδευομένοις* opus esse reliquo apud ipsum Thucydidem huius verbi usu demonstratur.[39]) Iam si ipsa sermonis consuetudine interpretatio illa in suspicionem vocatur, prorsus inepta videbitur sententiam verborum respicientibus; neque enim ullo modo fieri potest, ut in imperfecto *κατέπλεον* acquiescamus, sed dicendum utique est quidnam de illis Atheniensium navibus fiat. Quod nisi additum erit, sententia claudicabit. Quae cum ita sint, recipienda mihi videtur Goelleri interpretatio: „et naves illae (sc. Atheniensium) in stationem invectae sunt", ita ut repentina post particulam *καί* subiecti mutatio intercedat, in qua, utpote exemplis supra tractatis similibus satis excusata, non haerebimus. Paulo sane insolentior res hoc loco ea re fit, quod obiectum verbi *ἔγνωσαν* (*τὰς τῶν Ἀθηναίων ναῦς*), ex quo novum illud subiectum ad *ὡρμίσαντο* repetitur, ipsum quoque animo subaudiendum est. Sed similia certe sunt et ea quae supra attigi III, 5, 4, et IV, 47, 1 *ὡς δὲ ἔπεισαν* (simul audi *τοὺς ἐν τῇ νήσῳ*) *καὶ ἐκπλέοντες ἐλήφθησαν* sc. *οἱ ἐν τῇ νήσῳ*.

2. Iam ad parataxin adversativam transiturus primum pauca dicam de relativis sententiis ita secum coniunctis, ut in altera sententia subiectum ex priore repetendum sit, quod genus dicendi etiam in copulativis particulis occurrit. Res simplicissima est, si pronominis relativi accusativus generis neutri antecedit, quippe qui a nominativo subaudiendo forma non differat.[40]) Cf. II, 84, 2 *ὅπερ ἀναμένων τε περιέπλει* (*Φορμίων*) *καὶ* (simul audi *ὅπερ*) *εἰώθει γίγνεσθαι.* IV, 17, 1. Paulo aliter 59, 3, ubi vide Classen.[41])

E dativo pronominis relativi nominativus repetendus est I, 36, 1 *ὅτῳ τάδε ξυμφέροντα μὲν δοκεῖ λέγεσθαι, φοβεῖται δέ* . . . VI, 78, 1.[42])

---

[39]) Cf. Classen. ad IV, 26, 3.

[40]) Eadem formarum congruentia, nisi quod praecedit nomen neutrale, subiecti mutatio mitigatur VI, 71, 2 *ὅπως χρήματα . . . ξυλλέξωνται καὶ παρ' Ἀθηναίων ἔλθῃ* sc. *χρήματα*. 27, 3. Her. V, 24, 15.

[41]) Her. I, 111, 12.

[42]) Her. VIII, 21, 2. 75, 5. V, 83, 11. III, 31, 3. IV, 46, 12.

Ex accusativo generis feminini I, 10, 3 ἣν (στρατείαν) εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον μὲν ποιητὴν ὄντα κοσμῆσαι, ὅμως δὲ φαίνεται καὶ οὕτως ἐνδεεστέρα, nisi quis Campium (observ. ad Thuc. p. 14) secutus ἐνδεέστερα legere mavult.[43])

Nominativus additus est VI, 4, 3 τὸ δὲ χωρίον, οὗ νῦν η πόλις ἐστὶ καὶ ὃ πρῶτον ἐτειχίσθη, sed rariorem hanc syntaxin esse docet Krueg. gr. gr. § 60, 6, 4.

Verum haec de quibus adhuc dictum est simplicia sunt atque usu trita[44]) neque uberius disserendi copiam praebent; illa vero graviora, in quibus post particulam ἀλλά praecedente negatione subiectum mutatur. Syntaxis enim talium enuntiatorum postulat, ut altero membro per particulam adversativam priori negativo annexo iusta contineatur oppositio; quam rectissime tum effici, cum totius enuntiati membra idem subiectum habeant, apparet. Et frequentissima sane haec ratio est; potest tamen etiam mutato subiecto iusta oppositio inter utramque partem fieri, ut I, 58, 1 Ποτειδαιᾶται ... ἐπειδὴ ἔκ τε Ἀθηναίων ἐκ πολλοῦ πράσσοντες οὐδὲν ηὕροντο ἐπιτήδειον, ἀλλ' αἱ νῆες ... ἐπὶ σφᾶς ὁμοίως ἔπλεον ... Nam non mutata sententia verborum scribi poterat ἐπειδή ... οὐδὲν ηὕροντο ἐπιτήδειον, ἀλλὰ τὰς ναῦς ... πλεούσας. Itemque cetera exempla ad verum sensum verborum revocantes iustam oppositionem nusquam desiderabimus;[45]) cf. II, 70, 1. III, 45, 4. V, 32, 6. 111, 2. VI, 99, 3. VIII, 8, 2. 9, 2. 76, 6.

Haec de particulae post negationem ἀλλά natura ac vi sufficiant. Restat ut de exemplis ad argumentum nobis tractandum subiectis exponamus; neque enim desunt loci ita comparati, ut novum illud atque inexspectatum subiectum grammaticum ne verbis quidem expressum, sed ex iis quae praecedunt animo subaudiendum sit, velut V, 59, 2 οἱ Βοιωτοί ... τοὺς

---

[43]) Her. VIII, 106, 4. Denique e genetivo repetendus est nominations Her. I, 189, 2 ἐπὶ Γύνδῃ ποταμῷ, τοῦ αἱ μὲν πηγαὶ ἐν Ματιηνοῖσι ὄρεσι, ῥέει δὲ διὰ Δαρδανέων, ἐκδιδοῖ δὲ ...

[44]) Haud ita vulgaria apud Latinos esse bene monet Classen. ad II, 84, 2. Cf. Haase, l. c. I p. 206, 2.

[45]) De molestiore quadam subiectorum varietate (I, 26, 4) aliter explicanda cf. Classen. proleg. adn. 81 et Ullrich, Beitr. z. Krit. u. Erklär. d. Thuc. Progr. Hamburg 1862 p. 34 sq., ubi totam quaestionem accuratius tractatam reperies.

Ἀργείους οὐκέτι κατέλαβον· ἀλλὰ καταβάντες ... ἐς μαχην παρετάσσοντο sc. *οἱ Ἀργεῖοι,* ubi aptiorem esse particulam causalem (*γάρ*) bene annotat Ducas, qui idem animadvertere poterat loco prorsus simili VII, 25, 4 *οἱ Ἀθηναῖοι ... μίαν μὲν ναῦν λαμβάνουσιν αὐτοῖς ἀνδράσι, τὰς δ᾽ ἄλλας οὐκ ἐδυνήθησαν, ἀλλ᾽ ἀποφεύγουσιν ἐς τὰς Συρακούσας* sc. *αἱ ἄλλαι νῆες.* Cf. porro II, 51, 3. VI, 50, 1.[46]) Non prorsus diversa subiecta sunt, sed ex parte congruunt VIII, 84, 3 *ὥρμησαν ἐκραγέντες ἐπὶ τὸν Ἀστύοχον ὥστε βάλλειν ... οὐ μέντοι ἐβλήθη γε, ἀλλὰ διελύθησαν ἀπ᾽ ἀλλήλων* sc. Astyochus eiusque milites. Ordo subiectorum inversus est III, 16, 1 *οἱ Ἀθηναῖοι ... δηλῶσαι βουλόμενοι* (sc. *αὐτοῖς, τοῖς Λακεδαιμονίοις*), *ὅτι οὐκ ὀρθῶς ἐγνώκασιν, ἀλλ᾽ οἷοί τέ εἰσι ...* Prioris enim verbi subiectum est *ἐκεῖνοι,* quod ex pronomine *αὐτοῖς* post *δηλῶσαι* simul audiendo revocatur; altero vero membro scriptor ad subiectum primarium *οἱ Ἀθηναῖοι* redit.

Hanc rationem saepius in infinitivis e verbo aliquo pendentibus adhibitam invenimus, velut IV, 76, 5 *ἤλπιζον ... ου μενεῖν κατὰ χώραν τὰ πράγματα, ἀλλὰ χρόνῳ ... καταστήσειν αὐτὰ ἐς τὸ ἐπιτήδειον* sc. *αὐτοί.*[47]) IV, 65, 4. 66, 4. I, 26, 5. Contra nominativum cum infinitivo coniunctum sequitur accusativus cum infinitivo, cuius subiectum ex antecedentibus supplendum est I, 43, 1 *νῦν παρ᾽ ὑμῶν τὸ αὐτὸ ἀξιοῦμεν κομίζεσθαι καὶ μὴ τῇ ἡμετέρᾳ ψήφῳ ὠφεληθέντας τῇ ὑμετέρᾳ ἡμᾶς βλάψαι* sc. *ὑμᾶς.* III, 59, 4. IV, 83, 5. Paulo insolentius omissum est subiectum VII, 68, 3 *τὸ δὲ πραξάντων ἐκ τοῦ εἰκότος ἃ βουλόμεθα τούσδε τε κολασθῆναι καὶ τῇ πάσῃ Σικελίᾳ καρπουμένῃ καὶ πρὶν ἐλευθερίαν βεβαιοτέραν παραδοῦναι, καλὸς ὁ ἀγών.* Nam post *τούσδε τε κολασθῆναι* ad alterum infinitivum *παραδοῦναι* iam aliud subiectum *ἡμᾶς* addendum est.

3. Parataxis causalis: IV, 31, 1 (*οἱ Ἀθηναῖοι*) *ἐχώρουν δρόμῳ ἐπὶ τὸ πρῶτον φυλακτήριον τῆς νήσου· ὧδε γὰρ διετετάχατο* sc. *οἱ ἐν τῇ νήσῳ,* de quibus cum scholiasta cogitandum esse ex sequentibus in verba *οὕτω μὲν τεταγμένοι*

---

46) Her. II, 42, 21. VI, 60, 5. VII, 139, 30.

47) Her. III, 36, 33.

ησαν exeuntibus patet. VII, 23, 3. Bis deinceps mutatur subiectum, sed ita, ut altero loco novi illius ex iis quae praecedunt repetiti subiecti ambitus minuatur IV, 48, 1 *ἐς μὲν ἄνδρας ἑξήκοντα ἔλαθον (οἱ Κερκυραῖοι) τοὺς ἐν τῷ οἰκήματι τούτῳ τῷ τρόπῳ ἐξαγαγόντες καὶ διαφθείραντες* . . ., iam pergitur in parenthesi *ᾤοντο γὰρ αὐτοὺς μεταστήσοντάς ποι ἄλλοσε ἄγειν* sc. *οἱ ἐν τῷ οἰκήματι*. Ad illud autem quod sequitur *ὡς δὲ ᾔσθοντο* non omnes captivos, sed excepto eorum numero, qui iam egressi et trucidati erant, intellegendos esse ex ipsa narratione apparet.

Miram illam subiecti modo deminutionem modo amplificationem in uno eodemque orationis circuitu apud Thucydidem frequentissimam esse supra monuimus. Eandem sermonis licentiam interdum in sententiis coordinatis deprehendimus; praeter locum modo tractatum luculentum eius rei exemplum exstat III, 15, 1 *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐπειδὴ ἤκουσαν, προσδεξάμενοι τοὺς λόγους ξυμμάχους τε τοὺς Λεσβίους ἐποιήσαντο καὶ τὴν ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσβολὴν τοῖς τε ξυμμάχοις παροῦσι κατὰ τάχος ἔφραζον ἰέναι ἐς τὸν Ἰσθμὸν τοῖς δύο μέρεσιν ὡς ποιησόμενοι, καὶ αὐτοὶ πρῶτοι ἀφίκοντο* . . . Primum enim ad praedicatum *προσδεξάμενοι τοὺς λόγους ξυμμάχους τε τοὺς Λεσβίους ἐποιήσαντο* subiectum pertinet *οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι*, sicut scriptum videmus atque iis, quae capite octavo enarrata sunt, probatur. Verborum vero *ἔφραζον* et *ἀφίκοντο* subiectum solos Lacedaemonios esse e verbis *τοῖς ξυμμάχοις* et *αὐτοί* efficitur.

Contraria subiecti variatio invenitur I, 61, 3 *οἳ ἀφικόμενοι ἐς Μακεδονίαν πρῶτον καταλαμβάνουσι τοὺς προτέρους χιλίους Θέρμην ἄρτι ᾑρηκότας καὶ Πύδναν πολιορκοῦντας, προσκαθεζόμενοι δὲ καὶ αὐτοὶ τὴν Πύδναν ἐπολιόρκησαν μέν, ἔπειτα δὲ ξύμβασιν ποιησάμενοι καὶ ξυμμαχίαν* . . . *ἀπανίστανται ἐκ τῆς Μακεδονίας καὶ ἀφικόμενοι* . . . *καὶ πειράσαντες* . . . *καὶ οὐχ ἑλόντες ἐπορεύοντο* . . ., ubi subiectum verborum *ἀπανίστανται* . . . *ἐπορεύοντο* ita amplificatum est, ut simul *τοὺς προτέρους χιλίους* complectatur. Nam quod editores subiecti illam amplificationem iam in praedicato *ἐπολιόρκησαν* statuendam censent, hoc verbum mihi quidem non minus quam participium *προσκαθεζόμενοι* ad *καί αὐτοί* refe-

rendum esse videtur, quia priores illas copias Pydnam obsidere iam coepisse verbis *καταλαμβάνουσιν τοὺς προτέρους χιλίους Θέρμην ἄρτι ᾑρηκότας καὶ Πύδναν πολιορκοῦντας* satis indicatum est.[48])

Post particulam consecutivam *ὥστε* subiecti mutatio haud ita usitata est I, 2, 6 *παρ᾽ Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι . . . ἀνεχώρουν, καὶ πολῖται γιγνόμενοι . . . μείζω ἔτι ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώπων τὴν πόλιν, ὥστε καὶ ἐς Ἰωνίαν ὕστερον ως οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς Ἀττικῆς ἀποικίας ἐξέπεμψαν* sc. *οἱ Ἀθηναῖοι*.[49])

4. Parataxis disiunctiva: VI, 73, 3 *ἵνα ἢ ἀπὸ τῆς Σικελίας ἀπαγάγωσιν* (sc. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *αὐτούς* (*τοὺς Ἀθηναίους*), *ἢ πρὸς τὸ ἐν Σικελίᾳ στράτευμα ἧσσον ὠφελίαν ἄλλην ἐπιπέμπωσιν* sc. *οἱ Ἀθηναῖοι*. I, 26, 5 *οἱ Κερκυραῖοι . . . προεῖπον Ἐπιδαμνίων τε τὸν βουλόμενον καὶ τοὺς ξένους ἀπαθεῖς ἀπιέναι· εἰ δὲ μή, ὡς πολεμίοις χρήσεσθαι* sc. *αὐτοί* (*οἱ Κερκυραῖοι*), ubi aeque bene *ἤ—ἤ* collocari potuit (*προεῖπον ἤ . . ἀπιέναι, ἤ . . χρήσεσθαι*).[50]) II, 93, 3 *προσδοκία οὐδεμία ἦν, μὴ ἄν ποτε οἱ πολέμιοι ἐξαπιναίως οὕτως ἐπιπλεύσειαν, ἐπεὶ οὔτ᾽ ἀπὸ τοῦ προφανοῦς τολμῆσαι ἂν καθ᾽ ἡσυχίαν* (sc. *τοὺς πολεμίους*), *οὔτ εἰ διενοοῦντο, μὴ οὐκ ἂν προαισθέσθαι* (sc. *τοὺς Ἀθηναίους*).

5. Denique in asyndeto III, 52, 2 *οἱ Πλαταιῆς . . . ξυνέβησαν τοῖς Πελοποννησίοις τοιῷδε τρόπῳ· προσέβαλον αὐτῶν τῷ τείχει, οἱ δὲ οὐκ ἐδύναντο ἀμύνεσθαι*, ubi *προσέβαλον* ad Peloponnesios refertur, *αὐτῶν* et *οἱ δέ* ad Plataeenses.

Hanc dicendi consuetudinem quod substantivum aliquod in casu obliquo positum in verbis insequentibus subiecti loco ac-

---

48) Her. II, 32, 37.

49) Her. II, 16, 10.

50) Apte comparantur loci Herodotei II, 215, 25 *αὐτὸν δέ σε καὶ τοὺς σοὺς συμπλόους τριῶν ἡμερέων προαγορεύω ἐκ τῆς ἐμῆς γῆς ἐς ἄλλην τινὰ μετορμίζεσθαι, εἰ δὲ μή, ἅτε πολεμίους περιέψεσθαι*, et VII, 149, 20 *προειπεῖν τε τοῖσι ἀγγέλοισι πρὸ δύντος ἡλίου ἀπαλλάσσεσθαι ἐκ τῆς Ἀργείων χώρης, εἰ δὲ μή, περιέψεσθαι ὡς πολεμίους*. Classenus (ad Thucyd. I, 26, 5) hic quoque subiectorum diversitatem statuit; rectius de uno eodemque subiecto cogitaveris, futuro medii *περιέψεσθαι* significationem tribuens passivam, qua de re cf. Herodoti ad locos editores.

cipiendum est, cum iis, quae initio dissertationis de constructione ad sensum quae dicitur exposuimus, componentibus iam expedita est via ad eum usum, qui ex duobus illis dicendi generibus mixtus videtur. Haud raro enim talibus supplementis, qualia post nomina collectiva subiecti vice addenda esse supra demonstravimus, etiam tum opus est, cum nominum illorum praecedit casus obliquus. Ordiamur a simplicissimis exemplis, cum antecedit accusativus nominis collectivi generis neutri, ita ut discrepantia casuum solo sensu, non forma grammatica discernatur, ut VI, 72, 4 *ἤν . . . . παρασκευάσωσι τὸ ὁπλιτικόν, οἷς τε ὅπλα μὴ ἔστιν ἐκπορίζοντες, ὅπως ὡς πλεῖστοι ἔσονται . . .* sc. *ὁπλῖται.*

Solus numerus, non casus mutatur V, 8, 2 (*Βρασίδας*) *δεδιὼς τὴν αὑτοῦ παρασκευὴν καὶ νομίζων ὑποδεεστέρους εἶναι* sc. *τοὺς αὑτοῦ,* ubi Porti coniectura *ὑποδεέστερος* scribentis facile supersedemus.

Mutantur et casus et numerus III, 47, 4 *τὸν δῆμον εὐθὺς ξύμμαχον ἕξουσι . . . δεῖ δέ, καὶ εἰ ἠδίκησαν . . .* sc. *οἱ δημόται.* III, 28, 1 *πρεσβείαν δὲ ἀποστέλλειν ἐς τὰς Ἀθήνας Μυτιληναίους περὶ ἑαυτῶν· ἐν ὅσῳ δ' ἂν πάλιν ἔλθωσιν . . .* sc. *οἱ πρέσβεις.* VIII, 53, 3 *ἠρώτα ἕνα ἕκαστον . . . ὁπότε δὲ μὴ φαῖεν ἐρωτώμενοι* sc. *ἕκαστοι,* nisi potius participium etiam sine articulo pro substantivo accipiendum est, qua de re cf. Krueg. gr. § 42, 2 adn. 3. Rationem paulo insolentiorem praebent IV, 10, 3 *τὸν πολέμιον δεινότερον ἕξομεν . . . ἐπὶ γὰρ ταῖς ναυσὶ ῥᾴστοί εἰσιν ἀμύνεσθαι, ἀποβάντες δὲ ἐν τῷ ἴσῳ ἤδη* sc. *οἱ πολέμιοι*; nam singularis *ὁ πολέμιος* pro plurali *οἱ πολέμιοι* positus est sicut II, 41, 3; III, 56, 2, et alibi *ὁ ἐχθρός* VI, 38, 4. *ὁ πέλας* I, 32, 4. *ὁ ὑπήκοος* II, 41, 3, saepiusque in vocabulis militaribus (*ὁ στρατιώτης* II, 11, 3. *τριήραρχος* VI, 31, 5) et gentiliciis (*ὁ Συρακόσιος, ὁ Ἀθηναῖος* VI, 78, 1. *ὁ Χαλκιδεύς* VI, 84, 3). Quod genus dicendi, ut nomina personas significantia singulari numero quasi collectiva usurpentur, rarius sane apud Graecos est quam apud Latinos[51]); sed non recte uni Thucydidi hoc tribuitur a Dionysio Halic.[52]), sicut

---

[51]) Cf. Krueg. gr. gr. § 44, 1 adn. 2. 4. 6.
[52]) Epist. II ad Ammaeum p. 134.

monuit H. Stephanus, alios quoque scriptores ita loqui ostendens Append. ad Script. al. de Dial. Att. p. 46. 130.[53])

Saepius e casu obliquo nominum *πόλις* vel *ναῦς* notio pluralis *πολῖται* vel *ναῦται* repetenda est: VI, 100, 1 *ἡ δὲ ἄλλη στρατιά . . . πρὸς τὴν πόλιν, εἰ ἐπιβοηθοῖεν* sc. *οἱ ἐν τῇ πόλει* (si contra se copias mitterent), *ἐχώρουν*. 103, 4. I, 12, 2. III, 45, 1. IV, 66, 4 *οἱ τοῦ δήμου προστάται . . . ξυνέβησάν τε πρῶτα μὲν τὰ μακρὰ τείχη ἑλεῖν Ἀθηναίους . . . ἔπειτα δὲ καὶ τὴν ἄνω πόλιν πειρᾶσθαι ἐνδοῦναι· ῥᾷον δ' ἤδη ἔμελλον προσχωρήσειν τούτου γεγενημένου* sc. *οἱ ἐν τῇ ἄνω πόλει*. Non satis accurate Classenus et Stahlius in universum *οἱ Μεγαρῆς* supplent; nam de solis superioris urbis incolis, exceptis factionis popularis principibus, cogitandum esse e verbis antecedentibus satis apparet. Neque vero huc pertinet locus V, 47, 6 *τοῖς δὲ βοηθοῦσιν ἡ πόλις ἡ πέμπουσα παρεχέτω μέχρι μὲν τριάκοντα ἡμερῶν σῖτον ἐπὴν ἔλθωσιν ἐς τὴν πόλιν τὴν ἐπαγγείλασαν βοηθεῖν, καὶ ἀπιοῦσι κατὰ ταὐτά· ἢν δὲ πλείονα βούλωνται χρόνον τῇ στρατιᾷ χρῆσθαι, ἡ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη διδότω σῖτον . . .* Nam servata scriptura codicum *βούλωνται* ita haec interpretes explicaverunt, ut pluralem ad *τὴν πόλιν τὴν ἐπαγγείλασαν* paulo ante memoratam *κατὰ σύνεσιν* referendum esse dicerent. At bene monet Stahlius, tum, ne aliud videretur deinde subiectum esse omissis verbis *ἡ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη*, sequi debuisse *διδόντων*, eaque de causa Kirchhoffium secutus *βούληται* scripsit, ut singularis ad *ἡ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη* referretur, interpunctionis nimirum signo post *μεταπεμψαμένη* translato.

Duo sunt loci, in quibus e casu obliquo nominis *ναῦς* subiectum *οἱ ναῦται* repetendum est: II, 83, 5 *ἐντὸς ποιοῦνται . . . πέντε ναῦς τὰς ἄριστα πλεούσας, ὅπως ἐκπλέοιεν διὰ βραχέος παραγιγνόμενοι* sc. *οἱ ἐν ταῖς πέντε ναυσίν*, et III, 49, 3 *παρασκευασάντων δὲ τῶν Μυτιληναίων πρέσβεων τῇ νηῒ οἶνον*

---

[53]) Exempla Herodotea, quae quidem ad argumentum subiecta sint, praesto sunt haec: VIII, 31, 4 *οἱ Θεσσαλοὶ . . . ἐγένοντο ἡγεμόνες τῷ βαρβάρῳ τῆς ὁδοῦ. ἐκ μὲν δὴ τῆς Τρηχινίης ἐς τὴν Δωρίδα ἐσέβαλον* sc. *οἱ βάρβαροι* VII, 126, 7. *οὔτε γὰρ . . . ἴδοι τις ἂν λέοντα, οὔτε πρὸς ἑσπέρης . . . ἀλλ' ἐν τῇ μεταξὺ τούτων τῶν ποταμῶν γίνονται* sc. *οἱ λέοντες*.

καὶ ἄλφιτα καὶ μεγάλα ὑποσχομένων, εἰ φθάσειαν, ἐγένετο σπουδὴ τοῦ πλοῦ τοιαύτη, ὥστε ἤσθιόν τε ἅμα ἐλαύνοντες οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ ἄλφιτα πεφυραμένα sc. οἱ ναῦται.

Multo autem crebrius praecedunt nomina urbium vel terrarum: I, 27, 1 ὡς αὐτοῖς ἐκ τῆς Ἐπιδάμνου ἦλθον ἄγγελοι, ὅτι πολιορκοῦνναι sc. οἱ Ἐπιδάμνιοι. I, 73, 4 τὴν Πελοπόννησον . . . ἀδυνάτων ἂν ὄντων sc. τῶν Πελοποννησίων. II, 66 Ζάκυνθον . . . εἰσὶ δέ . . . ξυνεμάχουν . . . οὐ ξυνεχώρουν sc. οἱ Ζακύνθιοι. III, 68, 5 Πλάταιαν . . . ξύμμαχοι ἐγένοντο sc. οἱ Πλαταιῆς. 52, 2 ἐκ Λακεδαίμονος . . . εἰ ξυγχωροῖεν sc. οἱ Λακεδαιμόνιοι. 102, 4 Ναυπάκτῳ . . . μὴ οὐκ ἀντίσχωσιν sc. οἱ Ναυπάκτιοι. IV, 53, 2 Σπάρτης . . . διέπεμπον sc. οἱ Σπαρτιᾶται. 135, 1 Ποτειδαίας . . . αἰσθομένων sc. τῶν Ποτειδαιατῶν. V, 83, 3 Φλειασίαν . . . ὑπεδέχοντο sc. οἱ Φλειάσιοι. VI, 34, 1 Σικελίαν . . . καὶ Ἰταλίαν . . . μὴ δέχωνται Ἀθηναίους sc. οἵτε Σικελιῶται καὶ Ἰταλιῶται. 34, 2 Καρχηδόνα . . . διὰ φόβου εἰσὶν sc. οἱ Καρχηδόνιοι. 44, 3 ἐς Ῥήγιον . . . οὐκ ἐδέχοντο . . . παρεῖχον sc. οἱ Ῥηγῖνοι. 46, 1 Ἐγέστης . . . ὑπέσχοντο sc. οἱ Ἐγεσταῖοι. 49, 1 Συρακούσας . . . ἕως ἔτι ἀπαράσκευοί τέ εἰσι καὶ μάλιστα ἐκπεπληγμένοι sc. οἱ Συρακόσιοι. 52, 1 Καμαρίνης . . . προσχωροῖεν ἂν sc. οἱ Καμαριναῖοι. 62, 2 Ἱμέραν . . . οὐκ ἐδέχοντο sc. οἱ Ἱμεραῖοι. VII, 8, 1 Ἀθήνας . . . μεταπέμψουσιν . . . ἀποστελοῦσιν sc. οἱ Ἀθηναῖοι. Cf. VIII, 1, 1. 15, 1. 74, 3. VIII, 6, 4 Χίον . . . ἔλεγον sc. οἱ Χῖοι. 28, 2 Ἰάσῳ . . . οὐ προσδεχομένων sc. τῶν Ἰασέων. 61, 1 Ἄβυδον . . . εἰσὶ δὲ Μιλησίων ἄποικοι sc. οἱ Ἀβυδηνοί. Cf. 62, 3. — 63, 2 Σάμον . . . οὐκ ἀντανήγοντο sc. οἱ Σάμιοι. Nihil dicam de loco IV, 118, 5; neque enim iis assentior, qui ut Classenus verba καὶ οἷα ξυνέθεντο cum iis quae antecedunt conectentes e verbis τὰ ἐν Τροιζῆνι subaudiendum censent nomen οἱ Τροιζήνιοι; sed Stahlii accedo sententiae, qui verba illa ut superioribus aptari molestissimum, ita ad ea quae sequntur applicari commodissimum esse in adnot. ad l. c. dilucide comprobat.[54])

Iam in fine huius partis mentio nobis facienda est generis dicendi ita comparati, ut nominativus singularis e casu obliquo

---

[54]) Her. I, 150, 3. 193, 25. II, 3, 5. IV, 14, 3. VIII, 31, 10. 50, 9.

eiusdem nominis plurali repetendus sit. Exempla, quae apud Thucydidem non inveniuntur, ex Herodoti libris haec collecta habeo: I, 136, 8 *παιδεύουσι δὲ τοὺς παῖδας . . . πρὶν δὲ ἢ πενταέτης γένηται, οὐκ ἀπικνέεται ἐς ὄψιν τῷ πατρί, ἀλλὰ παρὰ τῇσι γυναιξὶ δίαιταν ἔχει* sc. *ὁ παῖς*. II, 68, 2. IV, 119, 16. 190, 4. Ceterum de natura ac vi huius in singularem transitus cf. quae prolata sunt p. 15.

III.

Qmnia quae adhuc tractavimus exempla ita comparata sunt, ut vel e praecedenti substantivo substantivum vel e pronomine pronomen subiecti loco repetendum sit. Restat ut de novo vocabulo subiecti verbis non ascripti vice functuro e praecedenti eiusdem quidem stirpis, sed diversae classis vocabulo eliciendo exponendum videatur. Cuius generis, utpote ceteris de quibus supra dictum est suapte natura insolentioris, exempla pauca sunt apud Thucydidem. Ac primum quidem subiecti loco repetendum est

1. substantivum ex cognato

a) adiectivo II, 45, 2 *εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς, ὅσαι νῦν ἐν χηρείᾳ ἔσονται* (sc. *γυναῖκες*), *μνησθῆναι*.[55])

b) e verbo I, 91, 1 *τῶν δὲ ἄλλων ἀφικνουμένων καὶ σαφῶς κατηγορούντων ὅτι τειχίζεταί τε καὶ ἤδη ὕψος λαμβάνει* sc. *τὸ τεῖχος*, quod e superiore *τειχίζεται* subauditur[56]); similiter I, 90, 2. VIII, 90, 4. II, 8, 3.

2. participium e nomine substantivo VII, 27, 4 *πρότερον μὲν γὰρ βραχεῖαι γιγνόμεναι αἱ ἐσβολαὶ τὸν ἄλλον χρόνον τῆς γῆς ἀπολαύειν οὐκ ἐκώλυον· τότε δὲ ξυνεχῶς ἐπικαθημένων* sc. *τῶν ἐσβαλόντων*. E participio nomen substantivum subaudiendum esse olim statuerunt interpretes V, 47, 6 *τοῖς δὲ βοηθοῦσιν ἡ πόλις ἡ πέμπουσα παρεχέτω μέχρι μὲν τριάκοντα ἡμερῶν σῖτον ἐπὴν ἔλθῃ*, ubi e *βοηθοῦσιν* nomen *ἡ βοήθεια* repetendum esse censebant. Sed priusquam de hoc

---

[55]) Her. II, 65, 5 *ἐοῦσα γὰρ Αἴγυπτος ὅμουρος τῇ Λιβύῃ οὐ μάλα θηριώδης ἐστί· τὰ δὲ ἐόντα σφι ἅπαντα ἱρὰ νενόμισται* sc. *θηρία*.

[56]) Her. IX, 8, 7 *ἐτείχεον σπουδὴν ἔχοντες πολλὴν πάντες Πελοποννήσιοι, καί σφι ἦν πρὸς τέλει* sc. *τὸ τεῖχος*.

loco quid sententiam exponam, pauca de toto capite praemittenda mihi videntur. Agitur enim de foedere quod Athenienses anno quadringentesimo vicesimo cum Argivis et Mantinensibus et Eleis fecerunt cuiusque exemplar operi Thucydideo insertum videmus. Eiusdem pacti reliquiae quaedam in tabula marmorea στοιχηδόν inscriptae nuper erutae sunt.[57]) Quod fragmentum si cum Thucydide comparamus complures inter archetypi et scriptoris verba occurrunt discrepantiae, quarum de origine ac vi homines docti inter se dissentiunt. Ac primum quidem Kirchhoffius, qui primus de fragmento illo accuratius exposuit[58]), eumque secuti Schoenius[59]), Stahlius Thucydidis verba corrupta atque secundum archetypum emendanda esse censent simulque hac ex re in universum de codicum auctoritate ac fide coniecturam faciunt.

Aliam viam ingressus Classenus[60]) codicum optimorum scripturam retinendam censet atque discrepantias illas neglegentiae illius tribuit, cui Thucydides, utpote tum exsul, pacta foederum exscribenda commisit. Fateor, ut meam ipsius quoque ea de re sententiam proferam, neutri sententiae me prorsus accedere; sic potius existimo: scriptoris textum constituenti utique sequendam esse auctoritatem codicum neque quidquam propter inscriptionem illam mutandum, nisi accedant etiam argumenta in ipsa re posita. Atque hac de causa in verbis supra scriptis codicum lectionem ἔλθῃ cum Kirchhoffio ceterisque in pluralem ἔλθωσιν emendandam censeo. Primum enim exempla, quibus utuntur interpretes, cum ad ἔλθῃ e participio βοηθοῦσιν nomen ἡ βοήθεια repetendum dicunt, parum idonea sunt.[61]) Deinde verbum ἔλθωσι plurali numero tam apte omnino ad τοῖς βοηθοῦσιν refertur, ut plane necessaria videatur illa emendatio.

3. pronomen ex adverbio locum indicante IV, 67, 1 ἐν ὀρύγματι ἐκαθέζοντο, ὅθεν ἐπλίνθευον καὶ (sc. ὃ) ἀπεῖχεν οὐ πολύ. De simili dicendi genere dictum est p. 23. 24.

---

[57]) Evulgavit Kumanudes in Athenaeo V, 313.

[58]) In Hermae vol. XII p. 368 sq.

[59]) In Bursian. annal. III p. 870 sq. et Herm. vol. XII p. 472 sq.

[60]) Proleg. ad lib. VIII p. 24 sq. et adn. crit. ad l. c. Cf. etiam O. Gilbert in Philol. vol. XXXVIII p. 265.

[61]) Cf. Stahlii ad loc. adn.

Iam ad finem disputatione adacta non alienum videtur de locis nonnullis, quos certae classi annumerare non licuit, quam brevissime disserere. Interdum enim generis vel numeri anacoluthiam deprehendimus eo effectam, quod scriptor ad notionem generalem transit. Cuius generis sunt haec: II, 47, 3 *ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, λεγόμενον μὲν καὶ πρότερον πολλαχόσε ἐγκατασκῆψαι,* et III, 3, 1 *οὐκ ἀπεδέχοντο πρῶτον τὰς κατηγορίας, μεῖζον μέρος νέμοντες τῷ μὴ βούλεσθαι ἀληθῆ εἶναι.* Fuerunt qui subiecti vice subaudirent *τὸ νόσημα* et *τὰ κατηγορήματα* e vocibus *νόσος* et *κατηγορίας* idem significantibus. Sed rectius notionem incertam quandam atque indefinitam cogitandam esse cum Classeno opinor. Similiter II, 76, 1 *οἱ δὲ Πελοποννήσιοι αἰσθόμενοι ἐν ταρσοῖς καλάμου πηλὸν ἐνεῖλλοντες ἐσέβαλον ἐς τὸ διῃρημένον, ὅπως μὴ διαχεόμενον ὥσπερ ἡ γῆ φοροῖτο* e verbis antecedentibus intellegendum vel potius divinandum est subiectum, quo crates luto refertae significantur. Iuvat comparare inter se locos Herod. VIII, 97, 7 *γαύλους τε Φοινικηίους συνέδεε, ἵνα ἀντί τε σχεδίης ἔωσι καὶ τεῖχεος* et Thucyd. II, 3, 3 *ἁμάξας τε ἄνευ τῶν ὑποζυγίων ἐς τὰς ὁδοὺς καθίστασαν, ἵν' ἀντὶ τείχους ᾖ* sc. id quod nos dicimus „die (so entstandene) Wagenburg".[62])

Denique appendicis loco unam rem memoria non indignam adicere mihi liceat. Hand raro enim quid subiecti loco supplendum sit pronomine indicatum videmus. Ac primum quidem multi sunt loci, in quibus pronominibus *οὗτος, αὐτός* vel similibus nomen aliquod gentis vel civitatis e praecedenti nomine urbis vel terrae repetendum esse significatur[63]), velut III, 5, 1 *ἐς πόλεμον καθίσταντο οἱ Μυτιληναῖοι καὶ ἡ ἄλλη Λέσβος πλὴν Μηθύμνης· οὗτοι δέ* sc. *οἱ Μηθυμναῖοι.* IV, 84, 1 *ἐπὶ Ἄκανθον — οἱ δέ* sc. *οἱ Ἀκάνθιοι.* VI, 48 *Συρακούσαις*

---

[62]) Her. VII, 36, 8 *ἐζεύγνυσαν δὲ ὧδε· πεντηκοντέρους καὶ τριήρεας συνθέντες ..., ἵνα ἀνακωχεύῃ τὸν τόνον τῶν ὅπλων* sc. *ἡ σύνθεσις τῶν πεντηκοντέρων καὶ τριήρεων* (die dadurch entstandene Vereinigung von Schiffen).

[63]) Quod ut frequentissimum, ita contrarium rarissimum est, qua de re cf. Krueg. ad Her. VIII, 127, 3 *ὑποπτεύσας δὲ καὶ τοὺς Ὀλυνθίους ἀπίστασθαι ἀπὸ βασιλέος καὶ ταύτην* (sc. *Ὄλυνθον*) *ἐπολιόρκεε.*

καὶ Σελινοῦντι ἐπιχειρεῖν, ἣν μὴ οἱ μέν ... sc. *Σελινούντιοι* ... *οἱ δέ* ... sc. *Συρακόσιοι* ... per chiasmum quem vocant e nominibus *Συρακούσαις* et *Σελινοῦντι* subaudienda; cf. VI, 49, 1. 52, 1 *παρεκομίζοντο αὖθις ἐπὶ Καμαρίνης* ... *οἱ δ' οὐκ ἐδέχοντο* sc. *οἱ Καμαριναῖοι*. 74, 1 *ἐν τῇ Μεσσήνῃ* ... *οἱ δέ* ... sc. *οἱ Μεσσήνιοι;* cf. IV, 1, 1.[64]) VI, 80, 1 *Πελοποννήσου* ... *οἳ* ... sc. *Πελοποννήσιοι*. 91, 4 *στρατιάν* ... *οἵτινες* ... sc. *στρατιῶται*.[65])

---

[64]) Her. VII, 133, 4. IV, 200, 4. IX, 6, 4.

[65]) Her. VII, 8 β, 8. I, 145, 13. IV, 3, 2. V, 23, 14. VIII, 128, 14. His exemplis adde VI, 49, 1. VIII, 23, 6. VI, 5, 15. VII, 179, 6. V, 92 β, 2 *ἦν ὀλιγαρχίη, καὶ οὗτοι Βακχιάδαι καλεόμενοι ἔνεμον τὴν πόλιν* sc. *οἱ ὀλίγαρχοι*. VII, 148, 20 *ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸ βουλευτήριον* ... *τοὺς δὲ πρὸς τὰ λεγόμενα ὑποκρίνασθαι* sc. *τοὺς ἐν τῷ βουλευτηρίῳ*. Cf. IV, 11, 15. 194, 5 *μιλτοῦνται ὦν πάντες οὗτοι καὶ πιθηκοφαγέουσι· οἱ δέ σφι ἄφθονοι* ... *γίνονται* sc. *οἱ πίθηκοι*. Claudat exemplorum numerum locus paulo insolentior VIII, 115, 21 *ἔνθα καὶ τὸ ἱρὸν ἅρμα καταλιπὼν τοῦ Διός* ... *ἀπιὼν οὐκ ἀπέλαβε, ἀλλὰ δόντες οἱ Παίονες τοῖσι Θρήιξι ἀπαιτέοντος Ξέρξεω ἔφασαν νεμομένας ἁρπασθῆναι* sc. *τὰς ἵππους*, quod e voce *ἅρμα* (Gespann) subaudiendum est.

VITA.

Georgius Eggers, fidei addictus evangelicae, natus sum a. d. IX Cal. Mart. 1866 in vico Hannoverano, cui nomen est Luehe, parentibus Guilielmo et Maria e gente Meyer, quos superstites esse valde gaudeo. Peracta aetate puerili dimissus e schola publica postquam progymnasium quod reale vocant Buxtehudense percurri, anno aetatis quinto decimo gymnasium quod Stadae auspiciis Caroli Coppini floret adii, unde vere anni 1885 maturitatis testimonio instructus Monacum me contuli studiis operaturus philologicis. Emeritis stipendiis per tria semestria scholas audivi virorum clarissimorum Brunn, Carrière, Christ, v. d. Pfordten, Riehl, R. Schoell, Schoenfelder, Sittl, Stangl, Woelfflin. Autumno anni 1887 ad hanc almam litterarum universitatem accessi, ubi docuerunt me viri doctissimi et humanissimi Burdach, Dittenberger, Haym, Hering, Heydemann, Hiller, Keil, Stumpf. Exercitationibus seminarii philologici et Monacensis et Halensis interfui. Omnibus vero praeceptoribus meis semper gratiam habebo quam maximam.

